



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. Quae fuerit Matrimonij prima institutio

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

2. Peccant vero Notarii. 1. Si contra veritatem instrumētum faciant, vel illi aliquam falsitatem inspergant, aut alio modo alterent contra integritatem. 2. Si eorum negligentia, ignorantia aut Malitia, aliquis error contra substantiam instrumenti irrepāt. ut: in Nomine, Die, substantia contractus, convocatione testium. 3. Si infidelitatem aliquam committant revelando secreta, aut dando copias instrumentorum iis quibus non debent. 4. Si cui ex negligentia culpabili, ignorantia vel in fidelitate damnum eveniat, tenentur ad restitutionē.

## TITVLVS XV.

### *De Matrimonio ac Coniugatis.*

#### Articulus Primus.

##### *Quæ fuerit Matrimonij Prima institutio.*

1. **I**Nstitutum est Matrimonium à Deo in statu innocentia, in loco paradisi, ante Adami & Evæ peccatum, in officium naturæ, & propagationem generis humani, illudque in institutione primæva, mul-

tis prærogativis honoravit. 1. Benedictio-  
 ne singulari *Gen. c. 1. Masculum & femi-  
 nam creavit illos, benedixit q̄ illis & ait cre-  
 scite & multiplicamini.* 2. Singularitate  
 duarum personarum ad invicem, ita ut una  
 fæmina nullum masculum putet factum in  
 mundo præter unum, & è contra. 3. Amo-  
 re mutuo & cordium unione, sicut acutissi-  
 me testatur Procopius: dicens: *Sapienter  
 Deus ex uno fingit duos, ut unum iterum ex  
 duobus constituat invicem copulatis per  
 Matrimonium.* 4. Indissolubili societate  
*Gen. 2. Quamobrem relinquet homo patrem  
 suum & matrem & adherabit uxori sue &  
 erunt duo in carne una.* 5. Castimonia &  
 pudica honestate *Gen. 2. Ubi natura Matri-  
 monii explicata, statim subjungitur: erat  
 autem iter q̄ nudus Adam scili & Eva uxor  
 ejus & non erubescabant.* Duos vero tan-  
 tum fines habuit Matrimonium in statu  
 innocentia, tanquam officium naturæ in-  
 stitutum: nimirum: multiplicationem li-  
 berorum, & vitam socialem.

2. Matrimonium vero à Deo in statu  
 innocentia, ad effectum naturæ institu-  
 tum,

tum, pro omni statu sive lege institutum fuit, & usque in hanc horam juxta essentialia sua, etiam in lege Evangelica perseverat. Omnia vero quæ successu temporis vel immutata vel addita sunt, nihil in substantia vel essentia Matrimonii immutarunt, sed tantum in iis quæ à legibus, ob bonum universi pendebant, conditiones nonnullæ, pro ratione circumstantiarum superadditæ sunt: Explico: in lege naturæ post ruinam peccati, & ebullitionem concupiscentiæ carnis, Matrimonium, quod officio naturæ tantum deputatum erat, in remedium concupiscentiæ etiam à Deo ordinatum est, manente officio propagandæ proles, tanquam basi Matrimonii. Item: quia paucitas personarum homini jam Morti, & eventibus morborum exposito, orbis repletionem impediēbat, à Deo Polygamia permessa fuit. Item: in lege Moyfi circa personarum habilitates & inhabilitates, nonnulla sunt lege Ecclesiastica sancita, & nonnulla ex dispensatione Dei per Moysen decreta, salva semper Matrimonii substantia. Tandem in lege nova Matri-  
moni-

monium, quod in officium naturæ, ad illud usque tempus remanserat, substantia & essentia immutata, ad sublimiorem gradum Sacramenti, Redemptoris gratia evectum fuit: quidquid autem additum est, essentiam Matrimonij in ratione Matrimonij non excedit,

4. Petes quid ratio Sacramenti novæ legis Matrimonio addiderit. Resp: quod Matrimonio primævo duo restituerit, & alterum supernaturalis effectus super addiderit, nimirum signum sensibile, efficax gratiæ & auxilii supernaturalis. 1. Quod restituit, est singularitas duarum personarum ad invicem, prohibita enim polygamia, Christus Sacramento novæ legis unitatem conjugii, ad duos solos, ut fuerat à principio reduxit. 2. Est indissolubilitas: nam abrogato divortio indissolubilitatem ad firmum vinculum reduxit. 3. Quod ratio Sacramenti superaddidit, est efficacia gratiæ supernaturalis, per sensibile signum, unde Matrimonium novæ legis sic definitur: Matrimonium in nova lege, est Sacramentum conjunctionis individuæ, Maris

&

& fæminæ, contractu legitimo & sensibili signo celebratum, quo gratia sanctificans contrahentibus datur, in ordine ad prolis procreationem & alios fines honestos.

## Articulus Secundus.

*De contractu Matrimoniali ac ejus valore.*

I. **C**ontractus Matrimonialis, est legitima traditio & acceptio potestatis in mutua corpora, legitimis signis facta, in ordine ad prolis procreationem, & individuum vitæ societatem. Contractus enim Matrimonialis non dicitur, nisi contrahentes actu potestatem in mutua corpora tradant, & ab invicem illam acceptent, quæ traditio & acceptio, his verbis solet exprimi: accipio te in meam: accipio te in meum.

2. Ad validum tamen & legitimum contractum quatuor requiruntur. 1. Personæ habiles: quæ habilitas personarum consideratur ex potentia Naturali, si nimirum ad actus Matrimoniales, ex naturali constitutione personæ sint aptæ, nec ab actibus

Matri-